

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum ideæ diuinæ sint ipsæmet rerum naturæ à Deo præconceptæ, an
potius ipsamet essentia diuina. disp. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

Ideas & artis ratione qua de causa verbo diuino tri- buantur.

Quæ ad illius imitationem actu producuntur. Atque haec ratione Dionylius appellavit ideas *predestinationes*, diuinæque ac bonæ voluntates: vt enim sunt ideæ, exemplariae in actu determinatione diuinæ voluntatis requirunt, atque includunt:

Quia ergo ideæ & rationes rerum sunt in arte atque Scientia artificis: Pater autem æternus cognitione, qua esentiam suam intuendo omnia apud seipsum comprehendit, Verbum æternum, Filium suum producit, qui merito sapientia genita, figura substantia Patris in Scripturis sanctis appellatur, quippe cum vi generationis sapientiam, cum sapientia esentiam, ceteraque attributa Patris accipiatur, inde est quod idea artis & sapientiae diuinæ, alioqui communes toti sapientissimæ Trinitati, Verbo æterno attribuuntur, & per Verbum æternum, tamquam per artem & sapientiam Patris in qua rationes rerum sunt, Ioan. i. omnia facta esse dicuntur. Vnde Diuus Augustinus tractat i. in Ioannem circa illud, quod factum est, in ipso (hoc est, in Verbo pér quod facta sunt omnia) vita erat, ait,

Quod sicut arca, verbi gratia, est in arte artificis antequam fiat, tamquam in ratione seu idea, per quam fit, & secundum esse, quod in mente artificis, est vita, eo quod ars ipsa operatio vite sit: ita omnia que facta sunt, sunt in Verbo æterno tamquam in arte & ratione seu idea, qua sunt facta, & secundum illud esse, quod in verbo habent sunt vita ipsa Verbi, esto secundum se ipsa vita caream. Et 9. de Cuiitate Dei cap. 22. ait: Angelii sancti certius temporalia & mutabilia ista norunt, quia eorum principales causæ in Verbo Dei consipient, per quod factus est mundus. Et infra: Alia autem est, in eternis atque in commutabilibus, que in eius sapientia vivunt, mutationes temporum præuidere, quod sancti Angelis datus est. Libro etiam 11. cap. 29. Angelis, inquit, sancti non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsum præsentiam immutabilis veritatis, hoc est, Verbum eius unigenitum. Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est, in sapientia Dei tamquam in arte qua facta est, quam in ea ipsa sciunt. Nonnullis deinde interiectis, inquit: Omnia hec (erecta scilicet) aliud in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas, rationesque suas, id est, secundum quas facta sunt incommutabiliter permanentes aliud in ipsis: illuc clarior, hic obscurior, cognitione velut artis atque operum.

D. Paulus exponitur.

Ex dictis intelligi poterunt verba illa Pauli ad Hebreos 11. qua hec omnis mirum in modum confirmant. Fide, inquit, intelligimus aptata esse facta Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Hoc est, ex rationibus, id est, rerum in Verbo æterno, pér quod facta sunt omnia, tamquam in arte, qua facta sunt existentibus, visibilia fierent.

Ideas nominis connotantur.

Patermisiis, alii opinionibus, vocabulum, idea, sive in prima, sive in secunda est duabus acceptiōnibus pauli ante explicari sumatur, nomen est connotatum: formaliter significans respectum imitabilis in re aliqua ad effectum, qui ex intentione agentis per intellectum & voluntatem talem rem imitatur: materialiter vero significans rem ipsam ad cuius imitationem talis effectus producitur. Vnde idea, seu exemplar, relatiū dicitur ad quod ad ipsius imitationem deducitur, hoc est, ad idearum, si ita loqui licet.

Idea sumpta pro obiecto exemplari definita.

Idea ergo in priori acceptiōne ita potest definiiri. Est res cognita ad cuius imitationem agens per rationem, aliquid producit. Vnde idea solum dicitur comparatione agentis per intellectum & voluntatem. Dicitur res cognita, quoniam in hac acceptiōne, non est conceptio ipsa, sed obiectum cognitum. Ea vero particula exprimit fundamen-tum respectus, quem formaliter idea significat. Ver-

A ba illa, ad cuius imitationem agens per rationem producit effectum, exprimunt rationem fundandi eiusmodi respectum: quia enim agens per intellectum respiciendo eam rem, ad imitationem illius producit effectum, sortitur res illa respectum, & rationem ideæ seu exemplaris, comparatione illius effectus. Quod si agens illud non ageret ad illius imitationem, sed calu, & præter suam intentionem, efficeret rem similem alteri, illa, cui talcum effectum similem produceret, non diceretur idea comparatione talis effectus. Idea ergo in actu requirit, ut effectus ad ipsius imitationem producatur. Idea vero in potentia solùm exigit, ut ad illius imitationem effectus produci possit. Quia ergo idea, ut cognita, concurreat ad effectum tamquam exemplar efficientis, principium effectus in genere cause exemplaris dici solet.

*Potes, num ad rationem idea necesse sit, ut *Ideationis exigit ut in exemplar agere libet.**

B Petes, num ad rationem idea necesse sit, ut agens, quod in agendo eam sibi imitandam proponeat, liberè agat. Respondendum est, id minimè requiri. Etenim si per impossibile agens aliquod per intellectum & voluntatem, non liberè, sed ex necessitate, naturæ ageret, quod multi existimant Aristotelem de Deo credidisse, res ab eo obiectum cognita, quam ex necessitate naturæ in rebus efficiendis imitari intenderet, non minus rationem ideæ, quam modò habeat, retineret.

C Idea vero in posteriori acceptiōne ita potest definiri. Est conceptio iuxta quam agens per rationem effectum producere intendit. Illud admonuerint, ideam in hac posteriori acceptiōne non tam propriè appellari exemplar, quam in priori. Exemplar enim obiectum cognitum, ad cuius imitationem aliquid fit, videtur propriè significare. Est vero idea, sumpta pre conceptione intellectus, vera causa efficiens effectus, qui per illam exprimitur: indiget tamen determinatione per voluntatem artificis, ut questione præcedente art. 8. explicarum est.

*D Ex dictis constat, non solum quid idea sit, sed *Idea diuina necessario sit postula.**

etiam ideas esse, idque non solum comparatione aliorum artificum, sed etiam supremi, Dei videlicet optimi maximi. Cum enim per intellectum & voluntatem agat, scientiæque & arte sua praconcipiat modum fabricandi res, quas postea ex tempore condit, fit, ut in eo idea rerum creandarum collocanda sint. De ideis igitur diuinis solum nobis hoc loco disputandum erit.

DISPUTATIO II.

E Virum idea diuina sunt ipsamet naturæ rerum à Deo preconcepta, an potius ipsamet essentia diuina.

F D Octo Scholastici potissimum de ideis diuinis in priori idea acceptiōne loquuntur. Vocant autem in controversiis id quod propositū est. Scotus in 1. d. 35. q. 1. Durandus d. 36. q. 3. Ochamus & Gabriel utique d. 35. q. 5. Gerson de vita spirituali leet. 1. corol. 12. & alii arbitrantur, ideas diuinæ non esse diuinæ essentiam, sed ipsam res producendas ex aeternitate ad Deo secundum se ipsas conceperas. *Quiaenam*, ut inquietunt, tales illas producunt, quales eas conceperat ipsam res, ut à Deo preconcipiat, sortiuntur rationem idearum seu exemplariorum, comparatione sui cum producuntur. *Vnde* inferunt, ideas diuinæ non esse in Deo formaliter & per identitatem cum Deo, sed obiectum tantum, nec ad obiectum Dei primarium, sed secundarium pertinere: esse præterea aeternas, generatio-nisque ac corruptionis expertes, ut cognitas: quippe cive nec cognosci à Deo incepiant, nec desinant, tametsi, quo

*Scot. Dur.
Ocha. &
Gabr. sec
tenua.*

quo ad existentiam, esse incipiunt ac desinunt, generentur accorruptantur.

prebatur Hanc sententiam probat primò Durandus, quoniam naturis rerum cognitis à Deo antequām producantur, conuenit definitio ideae: ergo vera sunt ideae diuinae. Consequens patet; antecedens probatur, quia sunt obiectum à Deo cognitum ad cuius imitationem res producuntur, tales quippe intèdit producere, quales eas præconceptis, quò fit, ut, cùm producuntur, ex intentione agentis sè ipsas ut præconceptas imitentur.

Secondo, eo modo ponenda sunt ideae in mente diuina, quo in mente artificum: sed in mente artificum ipsamet res arte conficienda, ut præconcepta, habet rationem ideae: ergo in mente etiam diuina ipsamet res producenda, ut præconcepta, habebit rationem ideae. Maior & consequens nota sunt, minor probatur: Tum ex illo Aristotele. 7. Metaph. *Sanitas in materia sit à sanitate in anima*, quatenus scilicet eadem natura sanitatis, ut præconcepta, est idea sanitatis quae fit in materia. Tum etiam, quia in mente artificis non est aliud, quod habeat rationem ideae, nisi ipsamet natura rei arte conficienda, ut præconcepta. Tum, denique, quia est artifex aliquid aliud conciperet, ad cuius imitationem ageret, atamen ipsa sola natura rei conficienda præcepta (Deo conceptionem illam in intellectum artificis immittente) est sufficiens exemplar, ad cuius imitationem eamdem rem efficeret, ac proinde ipsamet natura rei præconcepta habetur propriissimè ratione ideae comparatione sui, cùm arte conficitur.

Tertiò, idea non ponitur nisi respectu effectus producti per arteum ab agente operante per intellectum: sed agens per intellectum non differt ab agente naturali, nisi quis agens per intellectum præconceptis id, quod producit, agens verò naturale minime: ergo idea non est aliud nisi res præconcepta, quam imitatur ipsamet, ut producta.

Quarto, probant essentiam diuinam respectu earum perfectionum creaturarum, quae sunt communes Deo & creaturis, ut sunt, scietia, esse, viuere, &c. non nisi imperfècte habere rationem ideae: respectu verò, tum earumdemmet perfectionem secundum esse particulae, & specificum, quo conuenient creaturis, tum etiam comparatione perfectionum creaturarum, quae non sunt perfectiones simpliciter, sed solis creaturis conuenient, nullo modo rationem ideae habere. Primum ex eo probant, quia, vbi non est perfecta ratio imitationis, non est perfecta ratio ideae, quippe cum idea sit ad cuius imitationem effectus producitur: sed inter scientiam creatam, & diuinam, inter viuere creatum, & diuinum, non est perfecta ratio imitationis, cùd quod non conueniant in aliqua ratione specifica, aut generica, sed solùm in analogia: ergo neque inter ea perfecta ratio ideae reperiatur. Secundum verò probant, quia id, ratione cuius vnum est idea, & aliud ad illius imitationem est productum, in vitro; formaliter secundum aliquam similitudinem debet inueniri: sed esse particulae huiusmodi perfectionum, non est in Deo formaliter, sed metaphorice dumtaxat: ergo essentia diuina neque imperfècte dicenda erit idea huiusmodi perfectionum creaturarum.

Quinto ita argumentatur Gabriel, illud est idea, quo cogniti & sublati quocumque alio obiecto cogniti artifex potest agere: sed si Deus per impossibile cognoscet solum suam essentiam, & non cognoscet creaturas, non posset eas efficiere per intellectum, cognitis verò creaturis maximè: ergo creature cognite, non verò essentia diuina præcon-

Molina in D. Thom.

A cepta, ideae creaturarum constitutæ sunt.

Contra sententiam est D. Thomæ hoc loco, & de veritate quæst. 3. Egidij in 1. dist. 36. articulo 2.

quæst. 2. Henrici quadlib. 9. q. 2. Richardi in 1. d. 36. art. 2. q. 2. 3. Caetani etiam hoc loco. Capreoli in 1.

d. 36. quæst. 1. Ferrariensis 1. contra gentes cap. 54.

in eandem videtur inclinare Marsilius in 1. quæst. 1.

art. 1. & 2. est etiam multorum aliorum, qui omnes

asserunt ideas diuinas esse essentiam ipsam diuinam

à Deo cognitam, quæ cùm res omnes creatas in se

eminenter continet, atque vnaqueque carum non

aliud sit, quām participatio quadam illius, utique

B exemplar est diuino intellectui accommodatum, &

sufficientissimum, ad cuius imitationem per scientiam artis artem suam res omnes producat. Quò fit,

ut essentia diuina, quatenus in le eminenter continet plantæ, verbi gratia, eaque ratione potest ad illius imitationem planta produci, dicatur idea plantæ,

quatenus verò eminenter continet equū, ille potest

ad illius imitationem produci, dicatur idea equi, & ita

de ceteris reb. Fit etiam, ut hac ratione idea diuina

ad obiectum primariū diuini intellectus pertineat.

Confirmant verò hanc sententiam. Primo, quoniam idea exemplar est rei producenda, ac proinde quid ei ad distinctionem, simile ei tamē: atque res præconcepta non distinguuntur a seipsa producta, sed est profusus: ergo idea diuina non est creatura præconcepta, sed essentia ipsa diuina.

Secundo, idea est ratio cognoscendi rem ad ipsius imitationem producendam: sed essentia diuina est ratio Deo cognoscendi creaturas producendas, non verò ipsamet creature præcepta: ergo idea, quibus à Deo res producuntur, sunt essentia ipsa diuina, & non creatura ipsa præconcepta.

Tertiò, idea est ratio agendi, & principium rei quae ad ipsius imitationem producitur, concurrit namque in genere cause exemplaris ad illius productionem: sed creatura præconcepta non potest esse Deo ratio agendi: neque potest esse principium rei ad illius imitationem producendam, quippe cùm idem non possit esse principium & causa sui ipsius: ergo idea diuina non sunt creature præconcepta, sed ipsamet essentia diuina.

Quarto, pector ad depingendam imaginem semper ante oculos propónit, vel animo concipit rem aliam imitandam, tamquam exemplar, nempe simulacrum aliquod, aut hominem cuius effigiem exprimeret conatur: ergo idea & exemplar non est ipsamet res producenda, sed aliquid ab ea diuersum.

Confirmatur, quia difficile admodum potest artifex cogitare illam eamdem numero imaginem, quam potest est producatur, eo quod illa pendeat ex circumspecta temporis, in quo producetur, ex materia in qua, & ex qua producetur, atque ex aliis circumstantiis: ergo exemplar, quod artifex mente effingit, & ad cuius imitationem agit, non est ipsamet res producenda, sed alia illi perspicillis.

Quintò, artifex in sua operatione penderet ab idea & exemplari: Deus autem in sua operatione non potest pendere ab aliquo extra se, id enim arbitrii est, sed sacrilegum: ergo idea, exemplari, quib. res efficit, non sunt res ipsa præconcepta, sed diuina essentia.

Sexto, Dionys. cap. 5. de diuinis nominibus ait, *Exemplaria esse effectrices causæ corum quæ sunt, ut supra relatum est: creaturæ autem cognitæ sui effectrices causa non sunt, nec possunt esse. Augustinus etiam lib. 83. questionum quæst. 4. ait: Ideas esse formas principales, eternas, non oriri, neque interire, esse immutabiles, earumque visione animata esse beatam, quæ omnia sonant ideas non esse ipsas in naturas*

X erga

D. Thomæ
commun
senten
tia.

Suaderet
primò.

Secundò.

Tertiò.

Quarto.

Quintò.

Sexto.

creaturarum, sed essentiam diuinam, in qua creaturae virtute & eminenter continentur. Addit præterea, *has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris: non enim extra se quicquam possum inuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari facilem est.*

Quibus verbis aperte pote docet, ideam in acceptione, de qua nunc disputamus, sumptam videlicet pro exemplari, ad quod aspiciens artifex agit, non esse aliquid extra Deum, sed essentiam diuinam, ad cuius imitationem Deus creature tamquam participatione quadam suæ essentiae producit. Anselmus etiam Monolog. 29. docet, similitudinem esse inter res creatas, & Verbum, quia ad Verbi diuini exemplum omnia sunt facta. idea igitur, & exemplaria creature in Deo, non sunt naturæ ipsæ creature, ut præcognitæ, sed aliquid, quod in Deo formaliter existit. Boëtius præterea, de Consolatione metro 9. cum Deo agens ait:

Tu cum a superno

Ducis ab exemplo:

Pulchrum pulcherrimum ipse

Mundum mente gerens.

Similique ab imagine formans.

Prima cōclusio proposita difficultate respondens. Sequentibus nihilominus conclusionibus appeariam quid de re proposita censemendum videatur. Prima igitur sit. Comparatione intellectus diuini essentia diuina propriissimè habet rationem ideae creature, & non ipsa naturæ rerum. Hæc est contra Scotum, Durandum, & reliquos primæ opinionis autores, qui tum argumentis paulo ante pro fecunda opinione propositis probatur: tum etiam hoc modo. Quoniam prius est creature possere fieri diuina potentia, quam eas habere rationem entis, & cōsequenter rerum cognoscibilium: etenim quia fieri possunt, entia sunt, quippe cum id ens dicatur, quod esse potest: si namque nulla potentia esse possent, non magis haberent rationem entis, quam chimera: quare prius est naturam humanam, verbi gratia, fieri possesse diuina potentia, quam eam habere rationem entis. Exemplar igitur primum, in quo à Deo fieri possit conspicitur, atque adeo in quo conspicitur habere rationem entis, non est ipsam naturam humana habens rationem entis, sed essentia diuina, in qua virtute continetur, & cuius potest esse participatio, eam suo modo frustrat. Confirmatur, & explanatur hæc ratio. Deus cognoscit creature in tua essentia, tamquam in causa, in qua virtute continentur, & à qua possunt emanare, vt q. 12. explicatum est: ergo conspicendo earum, vt ita dicam, possibiliter in sua essentia, & modum, quo à sua essentia possunt emanare, eas intuetur: prius igitur est ex sua essentia inueniri modum, quo esse possunt, & quo eas valet producere, quam eas vt tales, vel tales naturas apprehendere: essentia igitur diuina, vt antecedit cognitionem creature, ut idea, quam creatura possunt imitari, & in qua inspicitur & cognoscitur à Deo modus, quo potest eas producere. Neque enim Deus (quod in re proposita magnopere est aduentendum) ex naturis rerum cognoscit eas posse esse, modumque, quo fieri possunt, quasi præconcipiat naturas rerum, & ex naturis videat eas possesse esse, modumque quo fieri possunt, sed contra ex possibiliitate earum ac modo, quo ipsius potentia fieri possunt, eas in sua essentia tamquam in causa contemplatur. Itaque intuitus diuinus ab essentia incipit tamquam ab obiecto primario, ex possibiliitate vero & modo, quo creatura à diuina essentia, ac potentia possunt emanare, eas in sua essentia, tamquam obiectum secundarium in obiecto primario, intuetur.

A Merito ergo Dionysius, Augustinus, Anselmus, & cum eis D. Thomas, ideas diuinæ in essentia diuina tamquam in obiecto primario constituant.

B Secunda conclusio. In artificiis creatis idea est, non natura rei producenda præconcepta, sed exemplar ab ea distinctum. Hanc probat quantum argumentum propositum pro opinione D. Thomas: artifices enim non videntur præconcipiēre ille, idem artefactum, in quo producendo elaborant, cū nesciant, quodnam illud in singulari futurum sit: ed quod id ex determinatis numero temporis, actionis, altiarumque rerum concurrentium circumstantiis pendaat.

C Tertia conclusio. Si Deus infunderet aliqui notitiam illius eiusdem numero artefacti, quod est producturus, natura illa præconcepta habere posset rationem ideae comparatione sui ipsiusmet ut producenda, ex illaque tam bene, aut melius, quam ex alio exemplari, scire adaptare & efformare in materia partes ex quibus deberet constare.

D Quod si petas, quare natura artefacti præconcepta haberet tunc propriæ rationem ideae in artefacto creato, natura vero rerum à Deo præconcepta, antequam producuntur propriæ rationem ideae comparatione Dei non habeant? Respondeo, id ex eo proficiat, quia artifex creatus sumit scientiam à rebus, atque ex naturis earum modum, quo fieri possunt, venatur. At vero artifex increatus scientiam à rebus non accipit, neque ex naturis rerum conicit modum, quo possunt fieri; sed in sua essentia & potentia modum, quo res pro arbitrio suæ voluntatis possunt emanare, intueretur, eaque ratione concipit naturas ipsas rerum, ut explicarum est.

E Petes, utrum ideae conueniat esse principium cognoscendi & efficiendi rem ad ipsius imitationem producendam. Respondeo. Idea diuina utrumque conuenire. In primis enim est obiectum principium, in quo Deus intuetur res producendas, & consequenter est principium seu ratio obiectiva, ut eadem cognoscat.

F Deinde cum sit ratio cognoscendi modum, quo res sunt efficienda: & scientia diuina sit causa rerum, sit, ut quatenus Deo est ratio cognoscendi modum, quo fieri possunt, sit etiam principium, efficiens earum. Idei vero aliorum artificium non est necesse utrumque conuenire. Non enim video modum, quo exemplar sit ratio, ut artifex artefactum cognoscat, quod in singulari est effectus: ut metu illio coniceret possit modum quodammodo in specie, quem sit habiturus. Quatenus vero cognitio, quæ de tali exemplari habetur, dirigit potentiam excutircem ad opus, indeq; melius intelligitur modus, quo res fabricanda est, ideo artificis creari est ratio, & principium efficiens rerum; que ad illius imitationem producuntur: quoniam eiusmodi idea non influat per se immutare in effectum, qui producitur, sed per cognitionem, que de ipsa habetur. Quod sit, ut idea creatorum artificium dicatur principium rerum, quæ ad illius imitationem efficiuntur ad modum causarum moralium. Atque hoc ratione causalitas ideae, seu exemplaris, ad causam efficientem potest reduci: si tamen consideretur, quatenus ad illius imitationem inducitur forma in effectum, reducitur ad causam formalem.

G Superest respondeamus ad argumenta proposita, quatenus cum conclusionibus propositis pugnare videntur. Ad primum ergo pro opinione Scoti, Durandi, & aliorum negandum est antecedens. Ad probationem negandum est, Deum ad imitationem naturarum, quas præconcepit, producere eadem naturas.

Secunda conclusio de ideae rerum quae arte creata sunt.

Tertiæ conclusio de rebus quæ arte factis.

Quæst.

Idea diuina principia sunt cognoscendi & efficiendi ea quorum sunt ideas.

Idea ad quod genere causam facit.

Ad primum pro opinione Scoti & Galerii ratione negandum est.

naturas. Licet enim tales eas producat, quales praecognitum, imo eisdem producat, quas praecognitum, non tamen eas, sed suam solam essentiam in earum effectione sibi imitandam proponit, neque Dei excutrix potentia ab eis dirigitur obiectiu, sed à sola diuina essentia, neque Deus ex eis modum fabricari, sed ex sua essentia elicit: quae tamen ad ideationem necessaria sunt.

Ad secundum
lum.

Ad secundum neganda est in primis maior: artifex enim creatus sumit cognitionem à rebus ipsis, ex naturis earum coniicit modum, quo possunt produci: Deus autem neque sumit cognitionem à rebus, neque ex rebus ipsis intelligit modum, quo possunt produci, sed ex sua essentia, ut explicatum est: quare non est per ratio, ut eadem naturae rerum praecognitum, quae sunt verae ideae in mente artificis creati, sunt etiam tales in mente diuina. Deinde negatur minor. Ad primam vero probationem dicendum est, sanitatem, quae est in materia, fieri à sanitate, quae est in anima, non tamen ab eadem numero sanitatis animo concepta, sed ab alia numero diversa ab ea, quae in materia producitur, ut diximus. Fortè tamen eo loco Aristoteles nomine *sanitas in anima*, non intelligit sanitatem obiectiu conceptum, que est idea in acceptance, de qua nunc loquimur, sed artem producendi sanitatem, quam appellat sanitatem in anima, & est in medico principium efficiens sanitatem hominis agroti. Ad secundam dicendum est, artefactum simile rei producenda praecognitum, aut etiam rem ipsam, cuius effigiem intendit artifex exprimere, esse illi ideam eius artefacti, quod producere vult, non vero ipsamnet naturam artefacti efficiendi. Reliqua argumenta pars solum probat, naturam artefacti praecognitam esse sufficientem ideam comparatione artificis creati, si datur praecognitum, ut in tercia conclusione asseveramus.

Ad tertium

Ad tertium concessi maiori, ad minorem dicendum est, agens per intellectum, non cō differre ab eo, quod non agit per intellectum, quod semper præcognoscet rem producendam, sed quod præcognoscet vel ipsam, vel aliam similem, quam intendat imitari: neque esse opus, ut præcognoscet, quinam numero effectus orietur ad imitationem exemplaris, quod præconcepit, sed satis esse, si intelligat quemadmodum singularem indeterminatam esse futurum, quem tamquam finem sue actionis intendat.

Ad quartum

Ad primam partem quarti argumenti neganda est maior, nempe ad perfectam rationem ideas necessariam esse perfectam rationem imitationis, de qua argumentum procedit. Quando namque causa agens per intellectum est aquiloqua, neque accipit cognitionem à rebus, sed in sua essentia præconcepit modum operandi, ut est Deus, satis est, si effectus suo modo ideam imitetur tamquam participatio quedam illius in ea virtute, ac eminenter contenta. Ad secundam partem neganda est maior: ad rationem namque ideae satis est, si ipsa sit eminenter id, quod ad illius imitationem producendum est: cum enim res producenda in ea eminenter, tamquam participatio quedam illius, continetur, ita cōdem suō modo imitari potest.

Ad quintum dicendum est, illud habere rationem ideae, ex cuius inspectione sufficenter modus agendi elicetur: talis autem est essentia diuina comparatione intellectus increati, ut ostensum est. Et enim Deus non ex naturis creaturarum cognitis venatur modum, quo efficienda ea sunt, sed ex sua essentia in inspectione: utrumque tamen in sua essentia contemplatur, & modum ipsum efficiendi, &

Molina in D. Thom.

area turas ipsas, quæ gñifici possunt: neque talem modum pot est cognoscere, quin eisdem creaturas tamquam termina operationis agnoscat, quippe cum actio co gñosci nequeat, non cognito termino, à quo essentia liter dependeret. Ad formam ergo argumenti dicendum est, maiorem esse veram, si intelligatur, illud esse ideam, quo cognito, & sublate quo cumque alio obiecto, quod non co gñoscatur in illo, & à quo pendeat cognitio modi operandi tamquam à termino, artifex potest operari: sed tunc minor non inferuit institutor, quoniam creaturae cognoscuntur in essentia, implicante essentiam comprehendendi, & creaturas eas in eā nō cognoscit, aut Deum aliter, quam in sua essentia, cognoscere creaturas. Præterea, à creaturis tamquam à termino pendeat cognitio modi efficiendi creaturas. Quod enim, si per impossibile Deus ignoraret creaturas, non posset eas producere, non est ex eo, quod Deus ex cognitione sua essentia re ipsa non habeat sufficientem cognitionem ad agendum, sed quod, ea hypothetice impossibili data, non posset cognoscere modum efficiendi creaturas, cō quod fieri nequeat, ut actio, ignorata termino, cognoscatur.

Circa argumenta, quibus confirmata est opinio C Diui Tomæ, animaduertenda sunt que sequuntur. Circa primum quidem, de ratione exemplaris non esse, ut sit distinctum à re, cuius est exemplar: ut etenim conclusio tercia dictum est, si Deus artifici infunderet cognitionem eiusdem numero artefacti, quod producturus est, illud ita præconceptum esset idea, & exemplar sui ipsius quando producitur. Circa secundum vero notandum, ideas diuinas esse quidem Deo rationes obiectivas cognoscendi res ad illarum imitationem producendas: ideas vero aliorum artificium id necessariò non habere, ut paulo ante explicatum est. Circa tertium autem notandum, nullum esse incommodum, si idem, ut præconceptum, sui ipsius admodum causarum moralium principium sit, sicut etiam sanitas præconcepta causa est sui ipsius in genere cause finalis, à tumptione vero positionis in genere causa efficientis producitur.

De opinione, quam Caetanus hoc loco tribuit Scoti, nempe quod aſteruerit, res ex aeternitate productas esse in quodam esse cognito diminuto, questione precedente articulo 5. diximus, quid censendum esset.

*Qæ sint
obscuranda
circa argu-
menta pro D.
Thomæ opini-
one propo-
sta.*

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo sint plures ideae.

 Vt affirmant, ideas diuinas nihil aliud esse, quam naturas ipsas rerum præconceptas, facile in Deo esse plures ideas defendunt.

Imo inde sumunt argumentum ad probandum, ideas in Deo non esse essentiam diuinam, quae est una & simplicissima, sed esse ipsas naturas rerum à Deo præconceptas, quae plures sunt.

Quod autem essentia diuina habere non possit ratione plurium idealium, suaderi potest. Primò, quoniam idea est nomen connotativum, ut superiori disputatione vidimus, formaliter significans respectum imitabilitatis & materialiter id, quod tale respectum fundat: sed, ut nomen connotativum dicatur pluraliter, non satis est pluralitas significati formalis, sed simul etiam necessaria est pluralitas significati materialis, ut ostendemus quando ad excellenissima Trinitate citi fermo: cum ergo essentia diuina,

*Pars, qua ne-
got proba-
tur.
Primò.*

X 2 qua